

SUBGENUS III HOLOTHURIA.

Pulmonibus instructae; discrimine inter dorsum et ventrem, et corpore nunquam perfecte cylindrico intervallum quod Pentactis et Molluscis interest, quodammodo exipientes.

TRIBUS 2 BOHADSCHIA.

Dorso convexo, ventre planiore, cuti coriacea. Tentaculis 20 peltatis, duplici dispositis serie. Ano stellato pentagono.

Structura interna Bohadschiae et Mülleriae a veris non discrepant *Holothuriis*, quas etiam in forma externa magis quam *Psoli* et *Cuvieriae* aequant, sed ani forma radiata *Pentactarum* quandam offerunt analogiam.

Etiam huius tribus nullae adhuc species descriptae esse videntur.

Cum iam alii virorum de historia naturali meritorum nomina ad significanda *Holothuriarum* subgenera adhibuerunt, etiam Bohadschio, de *Holothuriarum* historia naturali meritissimo hic locum tribuere licitum censui, quamvis in ceteris haec nomenclaturae ratio memoriae obvia, et a genio linguae, quae aut phantasiae aut ingenio imaginem aliquam obiecti dare studet, aliena mihi esse videtur.

Sp. 5. *Albiguttata*. Collect. Schöncl.

Semipedalis, subcylindrica, ventre planiore, submarginato. Pedes in dorso aequè ac ventre. Dorsum nigrocinereum. Venter albidocinereus, subrutilus. In dorsi margine raras maculae albidae, lineariter dispositae, nonnullas lineas in diam. habentes, ventris imitantur colorem. Papillae quinque in anum superum prodeuntes permultis obsitae sunt pedibus.